

Cur fit mentio Pilati?

Pilatus fuit praeses Iudeae sub imperatore Tyberio. Huius mentio fit in symbolo propter circumstantiam temporis, quae monet nos de messia exhibito iuxta vaticinium patriarchae Iacob: „Non auferetur sceptrum de Iuda neque magister de pedibus eius donec venerit Siloh.“<sup>117</sup>

5

Quale genus supplicij fuit crucifixio?

Crucifixio fuit supplicium Iudaicum, quam postea a Iudeis acceptam vt videtur. Vsurparunt [68:] orientales populi, sed aliter Iudei aliter gentes hac vsi sunt: Iudei non solebant viuos homines in crucem tollere, sed lapidatione interfectos, quorum postea cadauera cruci alligabant, non clavis per manus et pedes adactis affigebant. Gentes vero et viuos crucis suppicio 10 afficiebant et clavis affigebant non alligabant. Ad haec discrimina administrati supplicij huius inter Iudeos et gentes alias acceſſisse videtur et fractio crurum in mortuis, cuius meminit historia euangelica, quod et ipsum appareat fuisse moris ethnici. Modus igitur crucifixionis, quam Christus pertulit, non fuit Iudaicus, sed externus. Nam illo tempore iudicia capitalia non habebant amplius Iudei, sicut ipsi de se proclamant: „non licet nobis interficer quenquam.“<sup>118</sup> Quare Christus traditus a Iudeis ethnico praesidi non Iudaico externo etiam et ethnico modo crucifixus est, quem tunc ibi gentes in hoc supplicio seruabant.

15

Scribitur autem et hoc contra blasphemos et idolatras a Iudeis crucifixionem usurpatam, vt hac de causa Christum etiam crucifigi postularent, quem et summus pontifex blasphemiae damnauerat et cui alterum quoque crimen laesae dignitatis et quasi maiestatis sacerdotalis 20 intentabant, quod contra templum et iudices Israel locutus esset. [69:] Tales autem tribus tantum festis ijs, quibus populus omnis conueniebat, tollere publice supplicio solebant, ex eo, quod scribitur, Deut. 17: „Tollendos tales, vt omnis populus audiat“<sup>119</sup> etc. Ideo Christi etiam supplicium, vt ad paschatis tempus fieret, laborarunt. Haec adultioribus prodesse forte poterunt et, vt considerentur, necessaria sunt, quia ex Iudeis impijs incogitantiores aliqui 25 contra historiam euangelicam negant Christum viuum crucifixum, sed tanquam blasphemum more gentis Iudaicae lapidatione interfectum, id quod omnino etiam de Christo fecissent Iudei, si penes ipsos tunc fuissent supplicia capitalia. Non igitur meminerunt eo tempore

<sup>117</sup> Gen 49,10.

<sup>118</sup> Joh 18,31.

<sup>119</sup> Dtn 17,12f.